Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 5
Quelle:
Copyright:

Dum primus pulchro fuerat homo pulſus ab horto
In hanc pro miſeram morte dolore diem &c.

Etiam hic dormitavit ſubinde librarius, et editoribus emendandi occaſionem dedit; ſunt tamen quaedam, ubi cum priore legere malis. Diſticho 15. *Hic te* non *Hicce*. Diſt. 20. *ab orbe* non *ab ore*. Diſt. 33. *Aegypti haec* non *Aegypti de*. Diſt. 34. *ſuper aequora* non *per aequora*. Diſt. 67. *pro Joſia* non *pro Joſua*. Diſt. 77. *veniente die* non *veniente deo*. Diſt. 96. *ſcire* mendum Codicis eſt, reponendumque *ſciri*. Carminibus ſuccedit *Prologus* quidam in formam Crucis ſcriptus, et de tota Bibliorum oeconomia tractans hoc initio: *In Chriſti Nomine. Uetus teſtamentum ideo dicitur quia ueniente nouo ceſſauit* &c. Tandem *fol.* 18. *Pentateuchus* exorditur. Ad calc. *Geneſeos* legitur litera quadrata: *Explicit Liber Geneſis. Incipiunt Capitula Libri Exodi.* Lemmata haec numero XXI. plurimum cum *brevibus* illis *Titulis* conveniunt, qui Libro Exodi in *Divina Hieronymi Bibliotheca* T. IX. *edit. Vallarſ. col. 99.* praefiguntur. Subjicitur illis: *Expliciunt Capitula Libri Exodi Amen Incipiunt Liber.* Inſcriptiones ejusmodi et reliqui Libri habent, ſed absque Capitulorum elenchis. Adſunt tamen in margine numeri adſcripti diviſiones quasdam indicantes. Ordo deinceps librorum V. T. eſt ſequens: *Joſue. Judicum. Ruth. IV. Regum. Job. Proverbia. Eccleſiaſtes. Cantica. Iſaias. Jeremias* absque *Baruch. Ezechiel. Daniel. XII. Prophetae minores. Paralipomena. Esdrae Libri II. Eſther. Sapientia. Eccleſiaſticus. Tobias. Judith. II. Machabaeorum.* Joſue *Hieronymi* Prologum praefert. Regum *quartus* hoc epiphonemate clauditur: *Expliciunt Libri Regum IIIIor Lege cum Dei gratia Poſſide feliciter.* Job rurſus habet *Hieronymi* Prologum, uti et Proverbia, et Jeremias, Ezechiel, Daniel, in quo *Cap. ult.* verſus ultimus: *Tunc Rex ait* &c. deficit, et Prophetae minores, ad quorum calcem legitur litera capitali: *Explicit Liber Prophetarum Gloria Trinitatis Amen. Esdrae* et *Eſtheri* iterum praefatur *Hieronymus*, Eſther vero in primis C. X. verbis deficit. *Fol. 203.* columna prima tota vacat, quin tamen ex L. *Sapientiae* c. XV. quidquam deſit. *Eccleſiaſtico* adſuta eſt truncata illa ex *Reg.* III. c. 8. vel *Paralip.* II. c. 6. *Oratio Salomonis. Tobias* et *Judith* Prologis ſuis gaudent. Poſterior litera quadrata ſic finit: *Explicit Liber Judit in Nomine Dei ſummi Incipiunt Capitula Machabeorum Lib.* Capitula iſthaec numero XXIII. abſunt ex editionibb. Bibliothecae divinae *Hieronymi.* Librorum novi Foederis a *fol. 236.* hic ordo eſt: *IV. Evangelia. Actus Apoſtolorum. Jacobi, Petri, Johannis, Judae, Pauli Epiſtolae. Apocalypſis.* Praecedit ſeries Evangeliorum per annum